

322 TH. BARTHOLINI
tæ ob necessitatem potius anulis corneis
vela antennis suspendunt, quod ante
me in erudito de Acia scripto Doctissi-
mus Io. Rhodius observavit.

C A P. XXXII.

*Corneæ Cucurbitulæ probantur. Infundibu-
lum corneum. Rhytii forma. Cornu in ul-
ceribus & vulneribus usus. Clysteres cor-
nei. Pillula cornea, Syringa, Turunda.*

COrnum dignitatem pari utilita-
te junctam non ignorarunt Me-
dici veteres quos inde instrumentorum
suorum apparatus constituisse accepi-
mus. De Cucurbitulis corneis Oriba-
sius lib. 7. Med. Collect. cap. 16. Dif-
ferentia cucurbitularum quæ sumuntur à
materia, tres sunt, vitreæ, corneæ, anea.
Albucasis lib. 3. Chir. cap. 2. Ventose fiunt
ex cornibus, & ex are & ex vitro. Qua-
rum in usu diversitas, tam ratione par-
tis cui applicantur, quàm modi appli-
cationis. Corneæ capiti imprimis con-
veniebant, narrante eodem Sardonio:

Cor-